



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 3. Decretum Patrum Basileensium Lausanæ congregatorum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV. *forma bona & secundum minutas hic con-*
A. C. 1449. cordatas Amadæo, seu capitulo Gene-
 veni sequenti mense Julio porrecturos;
 Hisce literis a Papa impetratis, Amadæ-
 us in sua obedientia Felix V. nuncupa-
 tus, Papatum, omniaque prætenfa jura
 dimisit.

§. III.

Decretum Patrum Basileensium Lau-
sanæ congregatorum.

Ibid. p. 1335. & seq. Basileenses quoque Patres Lausanæ
 die sexta decima ejusdem Mensis ul-
 tima vice congregati duo condebant
 decreta, ut Amadæi abdicationem
 sua etiam auctoritate, ac solemnî for-
 mula firmarent. (*) In illis asserunt:
 Summo-

(*) Quid quæso ponderis huic cessionî acce-
 dere potuit a seditiosis atque rebellibus concii-
 abuli reliquiis, quarum præclara gesta Eber-
 hardus Weismann (licet ipse Heterodoxus,
 ac summis Pontificibus satis injuriosus esset,) in
 sua introductione historica Sæculo XV. num.
 13. pag. 1055. paucis hisce verbis complecti-
 tur: *Hoc rerum flatu Patres Basileensis Concilii*
in eo solo defigebantur negotio, ut Pontificem
suum defenderent, legitimumque ostenderent.
De reformatione ipsa tanguam causâ præcipua
nil actum est, nec agi potuit. Quin potius re-
 gnavit

Summopere providendum, ne divisionis ullum *Sæcul. XV.*
 amplius supersit vestigium, sed populum Chri- *A. C. 1449.*
 stianum resarciat, & reintegret concordia
 & communionis serenitas. Nunc vero cum
 per renunciacionem, quam Felix V. facere
 voluit de Papatu pure & simpliciter, medi-
 um paratius, & apertius ad consecucionem
 perfectæ, & integræ unionis in Ecclesia
 Sancta Dei videatur: Cupiens sancta Syno-
 dus tolli de mundi medio, quæ tranquillitati,
 & paci universalis Ecclesiæ repugnare, aut
 officere quovis modo possent, omnes & sin-
 gulas censuras & pœnas occasione differen-
 tiarum generaliter inslidtas, & promulgatas
 declarat effectum sortiri non debere, sed per-
 inde habeantur, ac si nullatenus emanassent.
 Omnes & singulas promotiones, electiones, po-
 stulationum admissiones, & provisiones (ex-
 cepto privationis & spoli titulo) factas
 approbat, ac ut ipsi in suorum beneficiorum
 possessionibus pacifici remaneant, non obstan-
 tibus ordinationibus nostris ceterisque contra-
 riis quibuscunque. *Fructus etiam illos, quos*
 durante

gnavit confusio turpissima in ipsa Synodo, par-
 tim per vota Principum contraria, partim per
 discessum Felicis V. & plurimorum Prælato-
 rum, partim ex vertigine & intentione carnali
 in omnibus consiliis dominante, ut proinde mirum
 non sit, & hic Deum aut parum, aut nihil fa-
 cere potuisse.

Sæcul. XV. durante hujusmodi divisione indebite perceperunt, etiam si nobis, & cameræ nostræ debiti essent, penitus ipsis remittimus. Declarat dignitates, beneficia, & officia ecclesiastica ad eorum possessores spectare & pertinere, proin omnes collationes, provisiones, postulationes, electiones &c, tam per ipsum Nicolaum Papam quintum in sua obedientia nuncupatum, quam per Felicem factas, necnon dispensationes, absolutiones, rehabilitationes, indulgentiarum ac privilegiorum, & quascunque alias concessionis, omniaque vel ab Eugenio vel Nicolao V. tam per ipsos, quam suos legatos qualitercunque facta, gesta, concessa, data, indulta, disposita, & ordinata ratificat, atque confirmat. Item de Personis Patriarcharum Episcoporum, & Abbatum, ac quorumcunque beneficiorum possessoribus de novo providet, statuitque quod ipsi in suarum Ecclesiarum possessionibus remaneant quieti, ac omnes sententias promulgatas, & quæcunque inde secuta contra præmissa, aut in præjudicium possessorum attentata ex nunc prout ex tunc haberi vult pro infectis, atque revocatis. Denique utriusque obedientiæ Cardinalibus suas dignitates salvas conservari decernit.

§. IV.

Nicolai V. Constitutiones super abdicatione Felicis.

Ubi vero compertum est, Felicem Pontificatu